

docentes, hoc esse de jure divino, et ordinatione Christi, cum ipse nullam feminam, imo ne propriam quidem matrem ordinaverit, quamvis fuerit dignior et excellentior universis apostolis. Unde Apostolus *I ad Corinth.* xiv, 34, sic præcipit: *Mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.* Et *I Timoth.* ii, 11, sic habet: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio;* adeoque cum feminis ex sacra Scriptura nequeat competere munus docendi in ecclesia, quod ex *Malachiae* ii, 7, est munus proprium sacerdotis, ibi: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus, nec eisdem potest competere ordo sacerdotalis.*

(26. Nec officii, quod in jure fiat mentio diaconissæ, presbyterissæ et episcopissæ, ut in capit. *Diaconissam* 23, caus. 27, quæst. 1, et cap. *Mulieres* 19, dist. 32, et sæpe alibi. Non officii, inquam, quia, ut recte notant Baronius, ad annum Christi 34, num. 280; Campanil., in *Divers. juris canon.*, rubr. 11, cap. 2; Vasquez, tom. III, in iii part., disp. 243, cap. 3; Rosignol., *De ordinib. in communi*, part. 1, qu. 3, art. 1, n. 7, et alii, ipsæ feminæ tali nomine appellabantur, non quod sic essent ordinatæ, sed quia viri earum erant assumpti ad diaconatum, presbyteratum et episcopatum, et ideo uxores diaconorum diaconissæ, presbyterorum presbyterissæ, et episcoporum episcopissæ dicebantur denominatione desumpta ab earum maritis. Et si instetur dicendo, quod in cit. cap. *Diaconissam* sic expresse habetur: «Diaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari statuiimus,» sicque videtur sequi, quod post tale tempus possit ordinari; respondetur cum *Glossa ib.*, verb. *Ordinariib.*, Barb., *ib.*, n. 3 et seq., et Doctore subtili in 4, dist. 25, qu. 2, § *Ad secundum principate*; Reiffenst., lib. I *Decretal.*, tit. 11, n. 58 et aliis, id esse intelligendum non de vera ordinatione, sed quia super talem feminam fiebat aliqua benedictio, ex qua consequeretur aliquod officium speciale, ut puta, quia ex ordinatione abbatissæ, vel collegii, tunc competeat ei legere homilias, aut Evangelia in matutino, quod non licebat aliis, sed ille non erat actus alicujus ordinis. Vide verb. *FEMINA*, num. 1 (162).

(27. An autem hermaphrodita sit capax recipiendi ordines? Vide verb. *HERMAPHRODITUS*, a n. 11.

(28. Item ad valide recipiendos ordines

(162) E. R. Diaconissarum munus non erat legere homilias, aut evangelia in matutino. Ad eas enim pertinebat assistere episcopis in baptismo ministrando feminis, eas in fidei rudimentis instruere, elemosynas distribuere, curam gerere viduarum, aliisque pietatis operibus sese exercere. Diaconissarum munus citius per Occidentem obsolevit, quam

requiritur, quod ordinandi sint baptizati; baptismus enim est fundamentum, et janua omnium sacramentorum novæ legis; cap. *Cum itaque* 112, § final. De consecrat., dist. 4, et cap. *Veniens* 3, De presbytero non baptizato, ibi: «Cum baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum;» adeoque sine baptismo non potest valide recipi sacramentum ordinis; c. *Si quis per ignorantiam* 59, caus. 1, q. 1. Unde in c. *Si quis presbyter* 1, De presbytero non baptizato, expresse statuitur: «Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur;» et concordat cit. cap. *Veniens* 3, eodem titulo. Et casus hic nostro sæculo accidit in Calabria, ubi scelestus quidam parochus, cum aliter non posset hostili animo, quem habebat erga quemdam principem, satisfacere, ejus infantes, quos aqua baptismali abluebat, in peccato originali relinquebat; siquidem animum positivum habebat illos minime baptizandi, ut animæ illorum a gloria excluderentur, et hoc ad vindictam inimicitiae, quam contra eorum patrem gerebat. Sub finem vitæ parochus penitentia ductus, crimen confessus est, unde filii principis superstites (nam nonnulli sine sacramento baptismi decesserant) iterum baptizati sunt, inter quos unus erat ex ordine nostro sacerdos, concionator, et qui prælaturas plures locales, ac provinciales administraverat; et hic ad præscriptum dictorum sacerdotum canonum, cap. *Si quis presbyter* 1, et cap. *Veniens* 3, De presbytero non baptizato, post baptismum iterum omnes sacros ordines suscepit. Sic ad litteram refert Amenus, *De delict. et penis*, tit. 8, § 1, verb. *Abusus in baptismo*, num. 3, et sequitur Ursaya, tom. I, part. II, disceptat. 2, n. 139.

(29. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi adulti habeant debitam intentionem virtualem saltem externam et voluntatem ipsos recipiendi, unde invalide suscipiunt ordines omnes adulti inviti, vel non voluntarii, utpote vel animo repugnante, vel fide, et simulate tantum ipsos recipientes. *Communis*. * Quod si quis coactus gravis mali metu animum intendat ad suscipiendos ordines, ut malum illud vitet, tunc utique ordinatio valet. Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, id est nec voluntatem suscipiendi, et non suscipiendi ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur decretum sac. congregationis. Bened. XIV, *De sacrific. missæ*, lib. VII, cap. 10, § 12. * Vide verb. *INTENTIO*.

(30. Qualitates autem ordinandorum ad licite recipiendos ordines sunt multæ.

in Oriente. Concilium Epaonense in Gallis sæcul. vi vetavit imposterum diaconissas promovere. Sæcul. xiii adhuc Constantinopoli diaconissæ vigeant. Confer Maeri *Hierolexicon*, necnon doctiss. Goarium in *Notis ad Euchologium Græcorum*, in ordinatione diaconissæ, pag. 219 et sequen.

Primo igitur requiritur, quod sint in statu gratiæ; status enim gratiæ requiritur ad licitam et dignam receptionem cujusvis sacramenti novæ legis; unde si qui scienter existentes in peccato mortali recipiant aliquem ordinem, peccarent mortaliter. *Communis*.

(31. Secundo requiritur quod sint confirmati. *Communis*, et habetur aperte ex concilio Tridentino sess. xxiii, cap. 4, *De reformat.*, ubi dicit, quod confirmati debent esse etiam, qui volunt accipere primam tonsuram, ibi: «Prima tonsura non inhietur, qui sacramentum confirmationis non susceperint.» Unde, si qui non confirmati scienter ad ordinationem accederent, peccarent, saltem venialiter, ut tenent communis doctores, vel etiam mortaliter, ut tenent Toletus, Bonacina, Nugnus, Tannerus, Castro-palaus, et alii.

(32. Tertio, requiritur quod ordinate, et gradatim, et non per saltum ordines suscipiant. *Communis* per textum in cap. unico *De clerico per saltum promoti*, et in concil. Trident., sess. xxiii, cap. 2, *De sacramento ordinis*. Unde, si qui scienter per saltum ordinarentur, recipiendo v. g. presbyteratum, nondum suscepto diaconatu, graviter peccarent, quia agerent contra præceptum Ecclesiæ in re gravi. Et si quis sic ordinatus etiam ex bona fide et ignorantia invincibili in susceptis ordinibus ministraret, indigeret absolute, et respective dispensatione saltem ad cautelam; sicque quidam clericus Joseph Cajetanus Ghinettus per saltum ad exorcistarum et acolythorum ordines promotus, quique ex bona fide vel ex ignorantia invincibili in susceptis ordinibus ministraverat, absolutus et respective dispensatus fuit ad cautelam, tum ad ordines omnes, tum ad alios, arbitrio archiepiscopi, ut mandavit sacra congregatio Concil. in *Florentina ordinum* 5 Decembris 1744, apud *Thesaurum resolutionum*, tom. XIII.

(33. Quarto, requiritur quod non sint irregulares. *Communis*. Irregularitas enim est inhabilitas canonica ad ordines suscipiendos, et in susceptis ministrandum. Unde, durante irregularitate, nemo licite ordinari potest, nec in suscepto jam ordine ministrare, cap. *Sæpe contingit* 1, De temporibus ordinationum, in 6. Quot autem et quales sint irregularitates, et a quibus dispensari possint? Vide verb. *IRREGULARITAS* per tot.

(34. Hic adde, quod si furiosus, aut infans, vel dormiens hominem mutilet, seu occidat, non fit irregularis. *Communis* per textum expressum in Clementina *Si furiosus*, unic., De homicid., ibi: «Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit.»

(35. An autem si infans (id est minor septennio, ex l. *Si infanti* 18, cod. *De jure deliberandi*, ibi: «Si infanti, id est minori septem annis,» ex cap. *Si infantes* unic., De desponsat. impuber., in 6, et *Glossa* in d. Clementin. *Si furiosus*, verb. *Infans*) ante septennium completum, plenum usum ra-

tionis habeat, ac sit capax, et occidat hominem, fiat irregularis? Negant Barbosa in citat. Clement. *Si furiosus*, num. 6; Sayrus, *De censura*, lib. vi, c. 17, num. 30; Avila in *Similib. tract.*, part. vii, disp. 6, sect. 1, dub. 13, concl. 1; Henriquez, lib. iv, cap. 3, num. 4; Layman, lib. i, tract. 4, cap. 10, n. 7; Pirhing, l. v *Decretal.*, tit. 11, num. 72. Et eorum ratio est, quia in d. Clementina *Si furiosus*, generaliter, et absque ulla distinctione seu exceptione dicitur, infantem, si mutilet, aut occidat hominem, non fieri irregularem. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. *Non distinguemus* 32, ff. *De recept. arbitr.*; l. *Præses* 3, ff. *De offic. præsid.*, cap. *Quia circa* 22, De privileg. Præsertim cum irregularitas sit odiosa, adeoque potius sit restringenda, quam amplianda, ex cap. *Odia* 15, et cap. *In penis* 49, De reg. jur., in 6, cap. *Pænæ* 18, De penitentia, dist. 1; c. *Statutum* 22, *De elect.*, in 6; l. *Factum* 155, § 2, ff. *De reg. jur.*; l. *Cum quidem* 19, *De liberis et posthum.*, cum similibus. Tum quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus a jure expressis, cap. *Is qui* 18, De sentent. excommunicat., in 6. Nullibi autem in jure expressum invenitur, quod infans ante septennium, etsi doli capax sit, ac plenum usum rationis habeat, si occidat hominem, fiat irregularis, adeoque pro tali non est habendus; quæ utique negativa sententia est valde probabilis.

(36. At vero probabilior est sententia affirmativa, quam tuerent Abbas in cap. *Pueris* 1, *De delictis pueror.*; Hostiensis, *ibidem*; Covarruvias, part. iii, Clemen., num. 5, § *De infante*; Emmam. Rodrig., part. i *Summ.*, De irregularit., cap. 176, conclus. 1; Poutas, verb. *Irregularitas*, casu 46, et alii plures tenentes, infantem etiam ante septennium incurere irregularitatem ob homicidium, si plenum usum rationis habeat, et doli sit capax, ita ut, ejus malitia supplente ætatem, mortaliter peccare possit. Et ratio est, quia motivum, ob quod infans occisor excusatur ab incurso irregularitatis in cit. Clement. *Si furiosus*, secundum *Glossam*, *ibid.*, verb. *Furiosus* et verb. *Infans*, est, quia occisio in ipso ob defectum pleni usus rationis non est voluntaria, cum nondum supponatur doli capax, et quid agat ignoret. Cap. *Aliquos* 5, causa 13, quæst. 1; l. *Quoniam* 1, codic. *De falsa moneta*; l. *Sed etsi infans*, ff. *ad Leg. Aquil.*; l. *Infans* 12, ff. *Ad leg. Cornel.*, De sicar., ubi dicitur quod si infans hominem occiderit, lege Cornelia non tenetur; quia ipsum innocentia consilii tuetur; ergo si ante septennium jam ipsum innocentia consilii non tuetur, ex quo jam plenum rationis usum sit consecutus, et ita doli sit capax, ut mortaliter peccare possit, jam ipsi ut culpabile imputabitur homicidium, ut ob ipsum evadat irregularis; cum, cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, De appellat.; l. *Cum ancillam* 6, ff. *De condit. ob causam*, et *Glossa* final., *ib.*, et, cessante ratione et causa legis, cesset ipsa lex; l. *Adigere* 6, §

2, ff. *De jurepatr.* Tum quia per ipsosmet adversarios, etiamsi sit major septennio, si necdum plenum usum rationis quis habeat, non fit ob commissum homicidium irregularis, quia cum excusetur a culpa, ob defectum sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, excusari etiam debet a pœna irregularitatis: ergo a sensu contrario non excusabitur ab incurso irregularitatis ob commissum homicidium, si ante septennium sit jam doli capax, et habeat plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, cum contrariorum et correlativorum eadem sit ratio, et disciplina; l. *De jure personarum* 1, ff. *De his qui sui vel alieni juris sunt*, ne ad imparia judicentur, arg. leg. *Non debet* 41, ff. *De regul. juris* in 6, cum concordantibus apud Rotam, part. XIX, t. I *Recent. dec.*, dec. 2, n. 11. Ubi enim eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio; l. *Ideo* 27, ff. *De leg.*, l. *Illud* 32, ff. *Ad leg. Aquil.*, et c. *Inter corporalia* 2, *De translation. episcop.* Cum ratio legis sit anima legis, l. *Cum ratio*, 7, ff. *De bonis damnatorum*.

(37. Nec valet dicere, quod irregularitas non incurritur, nisi in casibus a jure expressis ex cit. cap. *Is qui* 18, *De sentent. excomm.*, in 6, et cum nullibi reperitur in jure, quod infans ante septennium, etsi doli capax, et plenum usum rationis habeat, ob commissum homicidium fiat irregularis, pro tali non sit habendus. Non valet, inquam, quia licet id non reperitur in jure explicito, reperitur tamen implicite in cit. Clement. *Si furiosus*, ubi cum excipitur infans, et furiosus ab incurso irregularitatis, ex quo secundum *Glossam, ib.*, et jura adducta num. antecedenti, occisio non sit in ipsis voluntaria ex defectu sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, videtur in ipsis firmari incurso irregularitatis, si jam ante septennium sint doli capaces, et habeant plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, cum exceptio unius firmet regulam in contrarium in non exceptis; l. *In his, quæ*, 15, ff. *De legib.*, l. *Quæsitum* 12, § 43, ff. *De instructo et instrumento legato*, cap. *Dominus* 6, caus. 32, quæst. 7, cap. *Quoniam* 2, *De conjugio lepros.*, cum similibus. Taciti autem, et expressi idem est iudicium; cap. *Ex parte* 2 *De rescript.*; l. *Cum quid* 3, ff. *De rebus credit.*, et frustra exprimitur quod jam intelligitur; l. *Cornelius* 69, ff. *De hæredibus instituend.*, l. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1; l. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 3. Tum quia in d. Clementina videtur potius quam defectus ætatis, considerari defectus sufficientis usus rationis; nam, ut supra dicebatur, etiam per ipsos adversarios, si major septennio necdum plenum usum rationis habeat, et hominem occidat, non fit irregularis, non obstante excessu ætatis supra septennium; ergo ex ipsa Clementina colligitur, quod minor septennio, si jam plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter habeat, fiat irregularis ob homicidium, non obstante defectu ætatis

infra septennium; in infantibus enim, seu pueris magis quoad hoc est attendenda doli capacitas, quam ætatis quantitas, arg. cap. *Pueris* 1, *De delictis pueror.*

(38. Si autem legitime dubitetur, an infans, seu puer, cum homicidium commisit, fuerit doli capax nec ne, et habuerit usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, probabilius censendus est irregularis; « cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, » ut ad rem statuit Clemens III, in cap. *Ad audientiam* 12, *De homicidio*, ac Innocentius III, in cap. *Significasti* 18, eod. ibi: « In dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos, etsi forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare. » Et concordat cap. *Ad aures* 7, *De ætat. et qualitat. ordinandor.*, cum similibus, Pontas verb. *Irregularitas*, casu 46, n. 3, et alii plures citati, et secuti a Pirhing, *loc. cit.*, n. 59, in dubio juris et a Barbosa in cit. cap. *Ad audientiam* 12, *De homicid.*, n. 2, ubi habet quod quando certum est irregularitatem esse jure inductam, et dubium est an hic in eum casum homicidii incidit, in utroque foro censendus est quis irregularis, cum secus in dubio juris.

(39. Et id certius tenendum est de puero ætatis decem, vel circiter annorum, si non adhibuit debitam diligentiam ad evitandum homicidium, quamvis reputetur casuale. Puer enim decem circiter annorum merito præsumendus est doli capax, et sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, per text. cap. *Pueris grandiusculis* 1, *De delictis pueror.*, ubi Gregorius IX sic expresse habet: « Pueris grandiusculis peccatum nolunt attribuire quidam, nisi ab annis 14 cum pubescere cœperint: Quod merito erederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, et perjuriam non esse peccata? At his plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in majoribus, puniendi videantur. » Ubi, *Glossa* verb. *Grandiusculis*, sic exponit: « Grandiusculis, id est doli capacibus, videlicet septem annorum. Tales enim et mentiri, et verum dicere, et confiteri, et negare possunt, ut dicit Augustinus in epistola ad Renatum episcopum, ut habetur in *Glossa* Augustini super cap. *De consecrat.*, dist. 14, *Parvuli*. » Et de puero decem annorum, qui alium puerum casu fortuito sagitta percussit, atque occidit, *Glossa*, in cap. *Referente* 2, *De delictis pueror.*, verb. *Indultum*, expresse dicit: « Irregularis tamen fuit effectus, et pœna spirituali debet puniri, sive canonica, » quamvis de mandato Summi Pontificis fuerit absolutus a pœna pecuniaria sibi ob id ab abbate S. Remigii suo ordinario superiore imposita; licet enim homicidium reputetur, et sit casuale, si non fuit adhibita debita diligentia ad ipsum evitandum, adhuc sufficiens est ad inducendam irregularitatem; per text. in cap. *Continebatur* 8, *De homicid.*, ubi ab Alexandro III declaratur irregularis quidam diaconus, qui in lusa

præter opinionem alium occiderat; et concordant cap. *Presbyterum* 7, et cap. *Ad audientiam* 12, *De homicid.*; c. *Clerico jacente* 37, et c. *Eos vero*, dist. 50, cum similibus, ubi statuitur, quod irregularitas incurritur etiam ob casuale homicidium, si homicida non satis, ut debuerat, præcavit periculum tertii, adhibendo debitam diligentiam ad ipsum homicidium evitandum, ut passim interpretantur celeberrimos canonistæ et theologo, et habetur in sumuario cit. cap. *Presbyterum* 7, *De homicid.*, ubi expresse dicitur: « Homicidium casuale imputatur ei qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit; » quod idem habetur etiam in sumuario citat. capit. *Continebatur* 8, eod.

(40. Nec obstat quod varii alii habeantur sacri canones, uti cap. *Lator* 9, c. *Dilectus* 13; c. *Ex litteris* 14; c. *Ex litteris* 15; cap. *Significasti* 16; c. *Exhibita* 22; c. *Joannes* 23, et cap. *Quidam* 24, *De homicid.*, ubi in variis hujusmodi casibus ob homicidium casuale declaratur nullam contractam fuisse irregularitatem. Non obstat, inquam, quia cum jura juribus, quantum fieri potest, sint concordanda, textu expresso in c. *Cum expedit concordare jura juribus*, et concordent textus in l. *Non est novum* 26 et sequent., ff. *De legibus*, et l. *umc. De inofficiosis dotib.*, cum similibus; ad illos canones responderetur, quod sic ibi declaratum fuit, quia nulla ibi intervenerat culpa neque juridica, ex quo ibi debita fuerit adhibita diligentia, ne homicidium sequeretur, ut notat *Glossa* in cit. cap. *Continebatur* 8, *De homicid.*, verb. *Romani Pontificis*; et eruditissime advertit sapientissimus Pirhing, lib. 5, *Decretal.*, tit. 12, num. 57, assignando disparitatem inter casum relatam in cap. *Continebatur* 8, et casum relatam in c. *Lator*, *De homicid.*, ubi cum Covarruv., Sylvestro, et Molina dicit secundum glossam, quod ideo Diaconus in c. *Continebatur*, declaratus fuit irregularis, quia in culpa fuit, ex quo debita diligentiam ad impediendum homicidium non adhibuerit. At vero clericus in cap. *Lator* in nulla culpa fuit, cum passus tantum fuerit, et nihil alteri fecerit, nec potuerit prævidere quod alter illum in terra projecturus esset. Unde cum nullam prævidere potuerit adhibendam diligentiam ad evitandum homicidium, cujus nullum, quantum in se erat, debuerat timere periculum, ideo declaratum fuit, nullam ipsum incurrisse irregularitatem.

(41. Unde generaliter dicendum est quod ob homicidium casuale incurritur irregularitas a dante operam rei illicitæ, quamvis adhibuerit debitam diligentiam, ne homicidium sequeretur. Sic *Glossa* in cap. *Tua nos* 19, *De homicid.*, verb. *Congruerat*, ex l. *Culpa est* 36, ff. *De regul. jur.*, ubi dicitur, « culpa est immisceri se rei ad se non pertinenti; » S. Thomas, in 2-2, qu. 64, art. 8, in corpor., ubi sic expresse concludit: « Et ideo secundum jura, si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incur-

rit homicidii reatum; si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opera mors hominis consequatur. » Et idem in 4, dist. 26, q. 2, art. 1, quæstiunc. 2, ad 4, sic habet: « Et ideo, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo effecit voluntarium, ne hoc est propter hoc, quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. » Scotus in 4, dist. 23, q. 1, lit. E; Innocentius in cap. *Tua nos*, *De homicid.*; Fagnan. in cap. *Ad audientiam* 12, n. 19, *De homicid.*; Navarr. in *Manual.*, cap. 27, n. 220 et sequent.; Layman. lib. III, part. III, n. 4; Faber, Blondus, Mastrius, Pontas, verb. *Irregularitas*, casu 47, cum Toletis, et aliis ibi citatis, et plures alii, præsertim antiquiores canonistæ, absolute, et universaliter volentes hominem illum, ex ejus opere illicito sequitur casuale homicidium, esse irregulare, quamvis ad illud evitandum omnem cautelam et diligentiam adhibuerit, per textum in cap. *Presbyterum* 7, cap. *Continebatur* 8, cap. *Ad audientiam* 12, cap. *Dilectus* 3, cap. *Tua nos* 19, c. *Joannes* 23, c. *Petitio* 24, et cap. *Quidam* 25, *De homicid.*, cap. *Sententiam* 9, Ne clerici vel monachi, c. *De his clericis*, 36, dist. 50, cum similibus. Pirhing tamen *loc. cit.*, n. 63, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 195 et sequent., cum Covarruvia, Navarro, Avila, Palao, Suarez, et Sanchez ibi allegatis volunt, quod probabilius irregularitas non incurritur ob homicidium casuale dando operam rei illicitæ, et adhibita debita diligentia, nisi actio illicita ex se, et natura sua inducat propinquum periculum homicidii. Vide v. IRREGULARITAS, art. 1, nec non *Addit. Casin.* sub ead. rubr.

(42. Hinc clericus, qui sese exercens cum sclopeto, hominem, quem non videbat, occidit; seu venando telum in feram misit, et hominem occidit, irregularis est, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, juxta terminos l. *Perspicendum* 11, § 2, ff. *De panis*; Fagnanus, lib. v *Decret.*, in cap. *Ad audientiam* 12, *De homicid.*, num. 20; Sylvester, verb. *Homicidium* 2, n. 7, vers. sexto; Pontas, verb. *Irregularitas*, casu 47, ubi, adductis ad id variis sacris canonibus, adducit etiam hæc præcisa verba Toleti: « Clericus venationi, in qua sagittæ, aut sclopeto emitti solent, incumbens, et casu occidens, quantumcunque omnem prius diligentiam adhibuerit, irregularis est, quia operam dabat rei illicitæ, et talibus personis prohibita. » Ex cap. *Episcopum* 1, et cap. *Omnibus* 2, *De clerico venatore*; cap. *Episcopum* 2, et cap. *Omnibus* 3, dist. 34; Concil. Agathen., canon. 53; concil. Matisconen., canon. 13; concilium Vermarien., canon. 6; concil. Turonen. III, canon. 8; concil. Parisien., part. II, cap. 13; concil. Nanneten., canon. 3; concil. Ravennaten. IV, rubrica 17; concil. Senonen., art. 26; concil. Re-

men., tit. *De clericis in genere*, num. 6; concil. Lateranen. IV, canon. 15; concil. Trident., sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 12. Tum quia clerici sine justa, et necessaria causa arma deferre non possunt, cap. *Nimirum 1*, cap. *Cum a Judais 2*, cap. *Non pila 3*, cap. *Clerici qui 5*, cap. *Quicumque ex clero*, caus. 23, q. 8; cap. *Clerici arma 2*, *De vita et honestat. clericor.*; c. *In audientia 25*, *De sentent. excommunic.*; Clementin. 1, *De vita et honestat. clericor.* in fine, cum similibus. Arma enim clericorum debent esse orationes, et lacrymæ, c. *Non pila 3*, et c. *Conventior 21*, caus. 23, q. 8; c. *Si quis 3*, dist. 36; c. *Porro 14*, caus. 16, q. 3, cum similibus. Vide verb. ARMA per tot., et verb. CLERICUS, art. 6, per tot. Covarruvias tamen, Castropal. et alii citati, et secuti a Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 201, volunt clericum vacantem venationi, ex qua sequitur homicidium casuale, non esse irregularem, si pro eo vitando debitam adhibuit diligentiam, quia licet venatio sit prohibita, et illicita clericis ex citatis iuribus, quia tamen apud peritos ex se non est periculosa, et mortis inductiva, homicidium ex ea fortuito secutum irregularitatem non inducit.

(43. Item irregularis evadit ex homicidio casuali, qui non adhibuit diligentiam, quam debuit ad ipsum evitandum, licet daret operam rei licitæ. Sic expresse S. Thomas *loc. cit. supra*, num. 41; Fagnan., in cit. cap. *Ad audientiam*, num. 33 et sequent., cum aliis ibi allegatis; Sylvester, verb. *Homicidium 2*, n. 2, vers. secundo, qui dat operam rei licitæ; Pontas, cit. cas. 47, et alii plurimi per text. in c. *Qui arborem 49*, dist. 50; cap. *Presbyterum 7*, cap. *Continebatur 8*, et cap. *Ad audientiam 12*, *De homicid.*; cap. *Quæsitum 7*, *De penitent. et remissionib.*, cum similibus. Et ratio est quia, ut dicit Glossa in cit. c. *Quæsitum*, verb. *Negligentibus*, dissoluta negligentia prope delictum est, l. *Si fidejussor. 29*, ff. *Mandati*, cap. *Sæpe contingit 50*, et habetur pro conscientia, l. *Cum sex. 55*, *De ædilitio edicto*; et quamvis hoc homicidium non sit voluntarium directe, quia in illud voluntas non fertur, dicitur tamen voluntarium indirecte, quia voluntas potest illud prohibere, et non prohibet, ut declarat S. Thomas in 1-2, q. 77, art. 7. Unde tenetur etiam de casu fortuito, licet daret operam rei licitæ, uti habetur in summario d. c. *Presbyterum 7*, *De homicid.*, sic expresse dicente: « Homicidium casuale imputatur ei qui dat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit; » quod idem habetur in summario cit. cap. *Continebatur 8*, *De homicid.* Hinc Abbas, Covarruvias, et alii apud Pirhing, *l. c.*, n. 62, volunt, quod incurratur irregularitas etiam ob culpam levem, et levissimam, si talis culpa non sit in omittendo, seu non impediendo homicidium, sed sit in committendo, dum non adhibetur debita diligentia in evitando periculo homicidii proveniente ex propria positiva actione; quod et cum aliis tenet Fagnanus in c. *Quidam 25*, *De homicid.*, n. 9 et 10, di-

cens, quod etiam contrariæ opinionis auctores concedunt culpam levissimam in committendo inducere irregularitatem; juxta c. *Consulisti 20*, caus. 2, q. 5, propterea quod ea transit in culpam levem, juxta Gloss. 2, in lege Cornelia 25, ff. *De senatusconsulto Silariano*. Vide verb. IRREGUL., art. 1, n. 11, § decimo, vers. *Assignantur*.

(44. Non evadit tamen irregularis ex homicidio casuali, qui dat operam rei licitæ, et debitam adhibet diligentiam ad ipsum evitandum. *Communis* per text. in cap. *Dilectus 13*, cap. *Significasti 16*, cap. *Exhibita 22*, et cap. *Quidam 25*, *De homicid.*; cap. *Qui arborem 49*, c. *Sæpe contingit 50*, et c. *Si duo fratres 51*, dist. 50, cum similibus. Vide verb. IRREGULARITAS, *loc. cit.*, vers. *Assignantur*.

(45. Neque evadit irregularis furiosus, si, durante furore, occidat hominem. *Communis*, textu expresso in cit. Clementin. *Si furiosus*, unic. *De homicid.*, quia cum tunc usum rationis non habeat, immunis est a culpa, et consequenter ab omni pœna; l. *Sed etsi 5*, § 2, ff. *Ad leg. Aquil.*, cum similibus. (46. Evadit autem irregularis, si dilucida intervalla habeat, et hominem occidat, dum sanæ mentis est; quia et in foro civili tunc puniatur, l. *Divus Marcus 14*, § *Si vere*, ff. *De officio præsidis*; Covarruvias, in cit. Clementin. *Si furiosus*, part. III, n. 1, et 2; Pirhing, *l. c.*, n. 71, et communis aliorum. (47. Non est autem irregularis, quamvis gravi culpa sua in furore vel amantiam inciderit. Pirhing, *loc. cit.*, n. 71; Navarr., in *Manual.*, cap. 27, n. 230; Avila, *De censuris*, disp. 6, sect. 1, dub. 12, et alii passim. Et ratio est, quia licet prius peccaverit, superveniente tamen furore, amplius peccare non potest; et consequenter neque fieri ob homicidium irregularis, per text. in cit. Clementin. *Si furiosus*.

(48. Item non evadit irregularis dormiens, propter homicidium a se commissum in somnis: textu expresso in d. Clementin. *Si furiosus*. Et ratio est, quia et is usu rationis, et libero arbitrio caret, ac furioso comparatur, ut in d. Clementin. *Si furiosus*, et in cap. *Major 3*, § *Item quæritur*, *De baptismo*, et sic communis doctorum, teste Covarruvia in d. Clementin., part. III, n. 6, et Fagnan. in cit. cap. *Ad audientiam 12*, *De homicid.*, n. 37. (49. Esset tamen irregularis ob commissum casuale homicidium, si sciebat, se solitum esse noctu dormiendo e lecto surgere, arma arripere, et obvios percutere, et similia facere, et nihilominus non adhibuit debitam diligentiam ad hujusmodi periculum præcavendum, claudendo ostium, vel removendo arma, aut alias arbitrio boni viri providendo, quia tunc tale homicidium sic prævisum, et non impeditum esset indirecte volitum, et intentum in causa, adeoque sufficienter culpabile ad inducendam irregularitatem; et hunc esse puniendum pœna extraordinaria, tradit Bartolus in l. *Pœna parricidii 9*, ff. *Ad leg. Pompej.*, *De parricidio*; et est communis opinio, teste Covarruvia, *loc. cit.*, et Claro, in § *linal.*, q. 6, n. 13, v. *Quæro etiam*, ac Fagnan.,

loc. cit., n. 37, ubi refert quod Guglielmus ponebat exemplum de quodam socio suo Angelico, qui dormiendo Pisis in ecclesia S. Bened. prope Arnium fluvium, accessit ad filiam cujusdam alibi existentem, et ibi puerum interfecit, et dormiens ad lectum rediit, ut refert Marianus Socinus in cap. *Ad audientiam*, n. 51, subdens, se habuisse Bononiæ vicinam puellam, quæ in somnis surrexit, et panem fecit.

(50. Sic pariter est dicendum de ebrio, qui dedit operam ut inebriaretur, et sciebat se consuevisse in ebrietate arma sumere, et homines ferire; hic enim procul dubio hominem occidendo, evadit irregularis, si non adhibuit debitam diligentiam ad pericula illa cavenda, quia in tali casu homicidium, saltem indirecte, et in causa, est voluntarium; et consequenter sufficiens ad inducendam irregularitatem. Sic Covarruvias, in cit. Clementin. *Si furiosus*, part. III, num. 4; Barbosa, *ibid.*, num. 10; Fagnan., *loc. cit.*, num. 26; Pirhing, *loc. cit.*, num. 75; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 297, et ipso teste, communis aliorum. (51. Non esset tamen irregularis ebrius usu rationis privatus, ob homicidium in ebrietate commissum, si ebrietas ex vino, vel alio potu, plusquam æstimabatur, forti, et generoso, vel alias inopinato, et ex improvise absque culpa bibentis accidit. Sic communis cum citatis doctoribus, arg. cit. Clementin. *Si furiosus*, quia sicuti ibi declaratur, quod ob homicidium non incurrit irregularitatem furiosus, aut infans, vel dormiens ob defectum usus rationis, ita etiam ob talem defectum eam non incurreret dictus ebrius; quia ubi eadem est ratio, eadem debet esse juris dispositio, l. *Ideo 27*, ff. *De legibus*; l. *Illud 32*, ff. *Ad leg. Aquil.*, cap. *Inter corporalia 2*, *De translat. episcop.* Imo Pirhing, *loc. cit.*, num. 74; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 205 et seq., cum Covarruvia, Barbosa, Navarro, Azorio, et aliis ibi allegatis volunt, quod ebrius non incurrat irregularitatem, etiamsi voluntarie, et gravi culpa, se inebriet, dummodo homicidium prius non intendat, nec prævideat, nec rationabiliter prævidere possit, arg. cap. *Inebriaverunt 9* et sequent., caus. 15, qu. 1, ubi Lot ob ebrietatem ex nimio vino sibi obvientem culpabilis quidem, ob incestum tamen cum filiabus in ea commissum, a culpa immunis declaratur.

(52. Irregularitas ob homicidium casuale saltem indirecte voluntarium in casibus supra expressis et consimilibus incurritur ab homicida, quamvis ob id non fuerit a tribunali laicali condemnatus, sed innocens declaratus: quia licet tale homicidium non reputetur sufficienter culpabile ad effectum condemnandi homicidam in penis juris, est tamen sufficiens ad effectum incurrendi irregularitatem, quæ incurritur etiam sine culpa, imo etiam ex facto meritorio, ut patet de pugnantibus contra infideles, et hæreticos ob defensionem fidei, et patriæ, de deferentibus ligna pro comburendis hæreticis, ut acquirant indulgentias; de judi-

cibus justo condemnantibus reos ad mortem, et hujusmodi propter jura, et decreta adducta, ac dicta sub verb. BELLUM, art. 5, a num. 5 usque in finem, et sub verb. IRREGULARITAS, art. 1, sub num. 11, ad longum de variis consimilibus merito ibi videndis.

(53. Tum quia, ut supra dictum fuit num. 39, Glossa communiter recepta cap. *Referente 2*, *De delictis pueror.* verb. *Indultum*, in fine, expresse dicit quod puer decem annorum, qui alium puerum casu fortuito sagitta occiderat, « effectus fuit irregularis, et pœna spirituali debet puniri, sive canonica; » quamvis de mandato Summi Pontificis fuerit omnimode absolutus a pœna pecuniaria a suo iudice ordinario sibi imposita; et concordat tit. cap. *Pueris 1*, *De delictis pueror.*, et cit. Clementin. *Si furiosus*, *De homicidio*, ex qua Layman lib. 1, tract. 4, cap. 10, num. 7, *De legibus*, colligit quod irregularitatem incurrat impubes, qui septennii ætatem consecutus, et doli capax, voluntarium homicidium committit, prout docent etiam Sylvester verb. *Homicidium 3*, 2, dist. 3; Sanchez, lib. 1 *Moral.*, cap. 12, num. 8; Avila, part. VII *De censur.*, d. 6, sect. 1, dub. 13; Pontas, verb. *Irregularitas*, casu 46; Pirhing, l. v *Decret.*, tit. 12, n. 72; Reiffenstuel., *ibid.*, nu. 181 et seq., testans de communi; arg. cap. *Presbyterum 7*, c. *Continebatur 8*, et cap. *Ad audientiam 12*, *De homicid.*, et cap. *Is qui 3*, *De homicid.*, in 6, cum similibus.

(54. Et etiam dato quod adesset aliqua contrarietas inter judicia prolata secundum jura civilia, et prolata secundum jura canonica, adhuc esset standum horum dispositioni, alia illorum relicta, per text. in c. *Bene quidem 1*, c. *Denique 5*, c. *Cum ad verum 6*, cap. *Satis 7*, et cap. *In scripturis 9*, dist. 69; c. *Ecclesia 10*, *De constitutionib.*; c. *Decernimus 2*, *De iudiciis*, et c. *Relatum 11*, *De testamentis*, ubi expresse statuitur: « Mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis; » et sic in pluribus consimilibus; et tenent canonistæ communiter.

(55. Pro dispensatione autem hujusmodi irregularitatis ad eunda est Apostolica Sedes, cum ad id non se extendat episcopalis auctoritas, ex cap. *Continebantur 8*, *De homicid.*, ubi Alexander III mandat ut diaconus, qui homicidium, licet casuale, commiserat, non possit sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum ascendere, et ex concilio Trident., sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 6. « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionib. ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare; » et expresse sacra congr. Conc. in *Zagabrien. 16 Novembr. 1686*, in responsion. ad 3; apud cardin. Petra, tom. II *Commentar. ad constit. unic. Gregorii VIII*, sect. 1, nu. 17, ubi refert etiam decisionem ejusd. S. congr. in *Salisburgensi 14 Maii 1689*. (56. Et tanto magis id currit, si agatur de